

Hermann Heltberg Thomas Balthasarus


Exercitationum Logicarum IIX. De Enunciationum Definitionibus & earundem principiis

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729110877>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





R.U. phil. 1640 5
15

Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum
IIX.


DE ENUNCIATIO-
NVM DEFINITIONIBVS
& earundem principijs.

Ad quam
In Incljta Rosarum Academia

Respondebunt
M. HERMANNUS HELTBERGIUS
P R A E S E S

&
THOMAS BALTHASARVS Lubecensis
R E S P O N D E N S .

Ad diem XX. Januar. Hora
& loco consvetis.



Rostochi
Typis Myliandrinis, Anno c1o l1c X.

OMNIS
& ARE ENUNCIATIO debet aliquid affirmare & Neg
Croll. 187, 196



MAGNIFICIS, AMPLIS-
SIMIS, DOCTA PRVDENTIA
SPECTATISSIMIS, GENERE
ET VIRTUTE NOBILISSIMIS
VIRIS,

Inclytæ Lubecensium Reipub. Senatori-
bus dignissimis, patritijsq; ibi-
dem primarijs.

D. D.

DN. HENRICO KERCK-
RINGIO:

Propatri suo impensè dilecto.

DN. IOANNI LUNÆ-
BURGIO:

Fautori suo benevolo.

Dnis, Promotoribus ac Meccenatibus suis summa debitaq;
animi observantia diligentissimè colendis, hæc
studiorum suorum primitias

Offert

Dicat

Consecrat

THOMAS BALTHASARVS
Lubecensis.

Proœmium.



Vemadmodum aurifaber poculum aliquod aureum efformaturus, prius ipsius auri tanquam objecti sui rudem & vulgarem aliquam cognitionem sibi postulat & requirit, ipsa autem cognitio certa quædam documenta quibus adjutus artifex, quid verum aurum & ad poculum illud producendum idoneum, & quid falsum & supposititium, & ad poculi constitutionem ineptum sit, cognoscere possit, præsupponit; hisq; ritè peractis ad poculum seu opus suum producendum se convertit & accommodat: ita etiam Logicus qui rebus notionibus secundas, adeoq; ipsum syllogismum imponere eundemq; efformare debet, ipsarum rerum antequam hoc ipsum præstare possit, cognitionem & scientiam aliqualem & perfunctoriam requirit; ipsa autem cognitio certum quoddam præambulum & præludium cujus ductu, res ad notiones secundas & ipsum syllogismum suscipiendum aptas, apprehendere queat, præcedere jubet; quibus omnibus benè præstitis ad syllogismum seu opus suum efficiendum demum se convertit & accedit. Primò enim Logicus noster Aristoteles, quendam tractatum, qui monstraret quænam res in prædicamentorum seriem assumi, quæ item exindè rejici debeant, qui de antepædicamentis inscribitur, conscripsit, & ita ad ipsas res eo quo antea diximus modo cognoscendas accedit. In qua cognitione dum aliquantulum est versatus ad notiones secundas, ut Enunciationem, earundemq; principia, adeoq; ipsum syllogismum conficiendum, accedit. Hujus itaq; ordinis & nos studiosos exhibebimus, & post rerum tractationem,

ordo notionis se
cundae

1.
2.
3.

ad notiones secundas, & ad ipsum syllogismum efforman-
dum, animum mentesq; nostras dirigemus. Observabi-
mus autem in notionibus secundis efformandis talem ordi-
nem; primò de Enunciationum principijs, & postea de
ipsis Enunciationibus earundemq; speciebus & accidenti-
bus agemus; & postea ad ipsum syllogismum ejusdemq;
speciei & affectiones declarandas accedemus.

Theorema Primum.

sive in interpretationum

Principia Enunciationum sunt duo: No-
men & Verbum. Nomen est vox significans
ex instituto sine tempore, cujus nulla pars
significat separatim, semperq; est nota eo-
rum quæ subijciuntur.

Homo compositus
est ex materia
1. ex forma 2.

I. Ita est, omne quod compositum est, semper principia ex qui-
bus componatur & in qua resolvatur, presupponit & requirit.
Sic homo qui compositum quoddam est, principia quedam ex qui-
bus constituatur presupponit. Primò enim in homine est mate-
ria, qua corporis nomine vulgò venit; & postea forma seu anima
rationalis, qua duo Entia necessariò, si hominem esse quis affirma-
re voluerit, asserere & concedere cogitur. Nec est quod unico
aliquo exemplo videlicet hominis hanc assertionem nostram ve-
ram & firmam esse, probare velimus, procedamus potius in am-
plissimum rerum omnium naturalium theatrum, & nostram, si
forsan dubia adhuc est, sententiam corroboremus. Assumamus
enim si placet non solum corpora mixta, sed etiam ipsa elementa,
& omnia principia ex quibus componuntur presupponere, expe-
riemur. Sic aër, sic ignis, sic aqua, sic terra, ex quibusdam, vi-
delicet materia & forma, tanquam suis principijs constant. Sic
bruta

est materia
forma.

bruta omnia, ut Leo, Asinus Lupus: sic pisces maris & volucres
caeli, composita Entia dicuntur, & propterea etiam principia
agnoscere arguuntur. Agnoscunt enim formam, videlicet ani-
mam irrationalem; agnoscunt item materiam, videlicet corpus,
ex quatuor elementis compositum. Atq; adeo in omnibus
omnino Entibus sublunaribus res eodem modo se habet. Francisc.
Toler. in prolegom. in lib. I. Peri. Herm. Aristot. in prin-
cipio Gregorius Horst. lib. I. Institut. Log. tract. 3. in
principio. Matth. Flacius log. gen. lib. 4. cap. I.

II. Nec est, quod mireris forsas, quemnam in finem haec
adeo late, cum satis alias manifesta sint, explicemus. Facimus enim
hoc ipsum, ad meliorem & pleniorum nostram in theoremate positam
sententiam declarationem. Quemadmodum enim omnium rerum,
ita etiam Enunciationum quadam principia exstare, asserere &
indicare volumus. Sunt enim composita ex quibusdam, & sic
etiam principia recognoscunt & praesupponunt. Dicimus autem
in Theoremate nostro quod principia Enunciationum sint duo:
Nomen videlicet & Verbum. Vbi in principio statim monendi
estis, nos hic non agere de Nomine & Verbo more Grammatico-
rum & Rhetoricorum. Grammaticus enim de nomine & ver-
bo seu vocabulis, propter sermonis puritatem, & Rhetoricus pro-
pter sermonis ornatum & elegantiam; praecipit & agit. Nos
vero propter horum nullum, sed propter veritatem Enunciatio-
num in Logica, nominis & verbi tractationem vobis exhibemus.

Francisc. Toler. in lib. I. Peri. Herm. Arist. cap. 2. Gregor.
Horst. Institut. Log. lib. I. tract. 3. quaest. 3.

III. His ita praedictis facile qua ratione stoliditatem & car-
pendi studium Rami cognoscere, eidemq; resistere, & plane di-
rueri debeat & positus percipitur. Ille enim propterea in Logica
de nomine & verbo Aristotelem agentem, quod tautologiam,
cum non solum in Logica, sed etiam in Grammaticis de ijs agatur,
committat, reprehendere conatur. Sed nodum mi Rame in scirpo

quaris, dum inter rem & diversum illam rem considerandi modum distinguere nescis. Non enim absensum & absurdum est, ut una eademq; res pro diverso considerandi & tractandi modo, in diversis etiam disciplinis fiat objectum & tractetur, cum hoc ipsum exemplo predicamentorum seu ipsarum rerum, quae variarum disciplinarum pro vario considerandi modo objectum fieri possunt, possit demonstrari. Francisc. Tolet. in lib. Arist. categor. in principio quaest. 3. Matth. Flac. Logic. general. lib. 2. cap. 1. Crell. lib. 1. part. commun. Log. cap. 2. Regius lib. 2. Disputat. Logic. probl. 1.

IV. Hoc dubio remoto ad Theorematis nostri pleniorē enodationem accedemus. Dicimus autem quod principia Enunciationum sint duo, ubi facile percipitis, nos, cum ijs, qui Enunciationem ex tribus, subjecto seu nomine videlicet, copula, & deniq; predicato seu verbo, constare asseverant, facere minimè. Rationes autem ob quas cum ipsis non faciamus, ex multis hoc loco brevitate causa, adducimus duas; prima est: si copula esset Enunciationis principium adeoq; essentialis ejusdem pars, utiq; etiam semper actu poneretur in Enunciatione. Omnis namq; pars essentialis, semper in ea re cui est essentialis ponitur & invenitur, nec ea absente res integra & salva esse, & consistere potest. Sed copulam non semper actu dari posse in Enunciatione satis manifestum esse, putamus. Nec est, quod semet hac ratione, quia detur potentia copula in Enunciatione omni, etiamsi non actu, expedire laborant. Antea enim dictum, & satis manifestum est, omnem partem essentialem semper ipso actu & non potentia in illa re, cujus pars dicitur, poni debere. Altera, ob quam de illorum assertionis veritate dubitamus, ratio est, quod omne vinculum seu copula sit aliena & diversa ab illa re cujus est copula: sed jam manifestum est per copulam duas partes Enunciationis, non tantquam per partem sed per aliquod necessarium vinculum copulari

I Ratio, quare
ntum 2: principia
Enunciationum fit

2 Ratio.

lari & conjungi. Exinde copulam non essentialem Enunciatio-
nis partem, sed saltem necessarium ejusdem partium vinculum &
ligamen esse affirmamus. Nec est quod suū hunc errorem auctoritate
Dni. Philippi in Logicis suis hoc ipsum asserentis velint muni-
re & palliare: Respondemus enim Philippum eo in loco, ut &
in multis alijs, (ut V. G. quando Logicam artem nominat, &
DEum in predicamento substantia collocat) cum vul-
gò locutum fuisse, & propterea eorundem errorem defendi non
posse.

V. His ita dictis ad primum Enunciationum principium eno-
dandum descendemus. Dicimus autem quod nomen sit vox si-
gnificans, ubi notandum, quod hic per vocem significantem vobis
velimus exhibitas solas voces significantes, & non consignant-
tes, vel planè nihil significantes, ut prepositiones & his similes.
Hæ enim voces per se nihil significant, sed alijs tantum appositæ
atq; ita harum beneficio significare aliquid dicuntur. D. Gregor.
Horst. Instit. Log. lib. I. tract. 3. cap. I. Dicimus deinde
quod nomen sit vox significans ex instituto, ut à nominibus & vo-
cibus naturalibus, quales sunt, ploratus, risus, omnesq; ex affe-
ctibus animi naturaliter provenientes voces hac ratione distin-
guatur. De talibus enim nominibus seu vocibus naturalibus
hic omninò non loquimur, sed de talibus, quæ ex instituto, hoc est,
impositione & beneficio Logici arte ita easdem efformantis, no-
bis in presentia sermo est. Quibus rectè intellectus facilè vos in-
telligere putamus, nos hac ratione voces animalium, ut mugitus
vaccarum, balatus ovium, latratus canum, & his similes omnes
non ex instituto sed ex naturali affectu provenientes, hic remo-
tas & rejectas velle. Francisc. Tolet. in lib. deinterp.
Aristot. cap. I. & 2. Crellius lib. 2. part. commun. Lo-
gic. cap. I.

VI. Dicimus deinde quod nomen sit vox significans ex in-
stituto sine tempore, ut hac ratione à verbo quod tempus significat
disting-

distinguat. Quando enim dico Homo, Leo, Animal, vides has
voces non significare tempus, sed nudè tantum & simpliciter pro-
ferri. Quando verò dico, Homo sentit, ambulat: Leo, a-
nimal vivit: Hic vides, per sentit, ambulat & vivit
non solum nudam rem significari, sed insuper etiam tempus
cum ipsa re qua in tempore vel praterito, vel presenti vel futuro
ambulat. Quando enim dico Homo ambulat, statim significo
hominè, & etiam tempus in quo homo ambulet, videlicet in presenti:
Crellius lib. 1. de interpret. cap. 1. Gregor. Horst. lib. 1.
Instit. Logicar. tract. 3. cap. 1.

VII. Dicimus deinde quod nomen sit vox ex instituto sine
tempore significans, cujus nulla pars significat separatim, ut hac
ratione ab integra aliqua Oratione vel Enunciatione, cujus par-
tes separatim significare aliquid dicuntur, distinguat. Ad me-
liorem hujus assertionis nostra intellectum adducimus iterum ho-
minem, cujus nominis partes sunt duæ, ho & mo. Ha itaq; par-
tes separatim, hoc est à se invicem separata, ut videtur, nihil signi-
ficant, Ho enim nihil, nec mo quicquam significat.

VIII. Dicimus deniq; quod nomen sit vox significans ex
instituto sine tempore cujus nulla pars significat separatim, & est
semper nota eorum qua subijciuntur. Vbi per hac ultima ver-
ba vobis ostendere volumus, quod nomen semper fiat in Enuncia-
tione aliqua subjectum: Quando enim dicimus, quod nomen
sit talis vox, qua semper sit nota eorum qua subijciuntur, nihil
aliud, quam quod illud, quod semper in Enunciatione aliqua obti-
net locum subjecti, nomen sit, indicare volumus. Potestis itaq;
tali modo tenere, subjectum in omni Enunciatione est nomen, ut
quando dico Homo vivit, ibi homo est subjectum. Ergo etiam
erit nomen quod est vox significans ex instituto sine tempore cu-
jus nulla pars significat separatim & est semper nota eorum qua
subijciuntur. Atq; hac de primè Enunciationis principio vi-
delicet Nomine, ejusdemq; definitionis enodatione sint dicta. Con-
sequens

sequens autem est, ut ad divisionem ejusdem accedamus. Arist. lib. 1. peri Hermen. cap. 1. Francisc. Tolet. in lib. 1. peri herm. Aristot. cap. 1. Crell. lib. 2. Log. commun. cap. 1. Matth. Flacius lib. 4. Log. gener. cap. 2. Regius lib. 3. comment. Logic. probl. 1. Jacob. Martin. Disput. Logic. Domest. 8. th. 4. Greg. Horst. Instit. Logic. lib. 1. tract. 3. cap. 1.

1. FINIT.

IX. Dicimus autem quod aliud nomen finitum, aliud infinitum sit. Finitum nobis definit D. Gregor. Horst. lib. 1. Instit. Logic. tract. 3. cap. 1. quod sine praeposita negatione profertur, & rem certam & determinatam significat, ut Thomas ambulat, Homo vivit, Johannes est doctus, Homo est animal. Hic Thomas, homo, Johannes sine praeposita aliqua negatione profertur, & rem certam & determinatam significat. Sic nomen Thomas, sic hominis, sic Johannis nomen, certam & determinatam aliquam rem in certa aliqua predicamentali serie videlicet substantiali constitutam denotat. Jacob. Martin. lib. 2. Logic. Peripat. cap. 1. Nomen infinitum est, quod praepositam habet negationem, & de quocumq; siue existente, excepto eo, quod sua negatione rejicit, predicari & attribui potest, ut non Leo, de Homine, Appolline, Monte, & omnibus Entibus, excepto solo Leone, predicari potest. Sic rectè dicere possum, non Leo, est mons, Asinus, homo, mus, Thalia, Cerberus &c. Matth. Flac. lib. 4. Logic. general. cap. 2. Jacob. Martin. lib. 1. Log. Peripat. cap. 1. Gregor. Horst. lib. 1. Instit. Logic. tract. 3. cap. 1.

Nomen duplex
Finitum & infinitum

2. INFINIT.

Theorema Secundum.

Verbum est vox significans tempus, cujus nulla pars significat separatim, & semper est nota eorum quæ de alio dicuntur.

B

In

I. In proximo theoremate primi Enunciationis principij enodationem satis prolixam instituimus: in presenti itaq; ubi de altero principio sumus acturi, eò breviores erimus, partim quia ex enodatione prioris hujus natura aliquo modo innotescit, partim quia temporis & instituti nostri nobis habenda est ratio. Dicimus autem quod verbum sit vox significans tempus, ubi de verbo eadem quæ de nomine vobis exunt tenenda, excepto eo, quod addimus verbum significare tempus. Nomen enim hac ratione à verbo est distinctum, dum vox significans sine tempore, verbum verò vox significans tempus nominatur & dicitur. Assertionis & discriminis hujus veritatem per exemplum in theorematibus precedentis enodatione sexta, quò vos volumus remissos, demonstravimus Arist. lib. I. de Interpret. cap. 3 Crell. lib. 2. partis commun. Logic. cap. I.

II. Addimus deinde, quod verbum sit vox significans tempus, cujus nulla pars significat separatim, qua ratione etiam cum nomine, cujus partes etiam à se invicem separatas nihil significare diximus convenit. Et proinde in hoc enodaudo, si unicum tantum exemplum attulerimus, nos breves exhibebimus. Exemplum autem hujus rei ponimus tale: Petrus sentit: in hac enunciatione sentit verbum est, hujus partes si quis separet à se invicem significabunt nihil, sen, enim & tit, separata omnino nihil significant. Matth. Fac. Logic. general. lib. 4. cap. 2. Crell. lib. 2. part. commun. Log. cap. I.

III. Annectimus deniq; & hoc quod Verbum sit vox significans tempus, cujus nulla pars significat separatim, est semper nota eorum quæ de alio dicuntur. Quibus verbis innuere volumus: illud quod in Enunciatione semper est predicatum, Verbum à Philosophis appellari, ut quando dico: ignis urit, cælum movetur, ibi ultima verba quæ predicata sunt, Verbum à Philosophis nuncupantur. Non autem estimare debetis, nomen qualiter à grammaticis accipitur semper obtine-

16
 15
 14
 13
 12
 11
 10
 9
 8
 7
 6
 5
 4
 3
 2
 1
 0
 1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16

obtinere locum subjecti, & Verbum locum predicati. Potest enim
 is ordo interdum invari, ut verbum grammaticum fiat nomen
 Logicum, ut hoc in exemplo quando dico: Didicisse fideliter ar-
 tes, emollit mores, ibi verbum grammaticum fit nomen Logi-
 cum: didicisse enim verbum Grammaticum est, & tamen hoc in
 loco fit nomen Logicum. Matth. Flacius Log. gener. lib. 4.
 cap. 2. Gregor. Horst. Instit. Logic. lib. 1. tract. 3. quaest. 3.
 IV. Deniq; & hoc vobis annotandum est, nos hic non de quo-
 libet verbo, sed de verbo tantum indicativi modi nostram defini-
 tionem velle intellectam.

Theorema Tertium.

^{Proprium}
 Enunciatio est Oratio, indicativa verum
 aut falsum significans.

I. Iterum, si rationem & veritatem hujus theorematu nostri
 investigare & inquirere vultis, vobis recurendum est, vel ad
 Physicam, vel ad aliam scientiam speculativam. Quemadmo-
 dum enim Physica, ut jam sapius dictum, absolutis & perspectis
 principijs, tandem etiam ad ea quae ex illis principijs constant, or-
 dine hoc ipsum postulante, procedere & devenire solet. Agit
 namq; Physica prius de principijs corporis naturalis, & ijs bene
 perspectis, ad ipsum corpus naturale ex ijs principijs compositum,
 progreditur: ita etiam ipsa Logica, quae haecenus occupata fuit in
 principijs Enunciationum inculcandis & cognoscendis, tandem
 ad ipsum compositum ex ijs principijs procedendum esse putavit.
 Nam quae haecenus à nobis de nomine & verbo sunt prolata &
 disputata, propter Enunciationem, quae ex ijs conflata est, sunt
 proposita. Nec putandum, quod hic noster procedendi modus solo
 hoc exemplo à Physica desumpto tanquam fundamento nitatur,
 sed insuper etiam, notandum est nos secundum mentem & ordi-

physica Absolutis princi-
 pijs ad ea, quae ex principijs
 procedunt progreditur.

ut Physica ita & Logi-
 ca occupata est.

NOMEN & verbum
simpliciter terminum

~~terminum~~

obijcio

ff

nem ipsius Aristotelis Praeceptoris nostri progredi, & nostram hanc
viam dirigere. Ille enim eodem modo quo nos, à nomine & ver-
bo, seu simplicibus terminis, ad Enunciationem est progressus.
Nec quenquam movere, vel eidem scrupulum injicere debet,
quod nos non eodem modo de oratione in genere agamus, quemad-
modum definitur, quod sit vox significativa, cujus aliqua pars
significet separatim, qua ratione egit Arist. & qui eundem se-
quuntur, scholastici. Illi enim cum Aristoteli lib. 1. de Interpret.
cap. 4. agunt de oratione in genere, & eandem in Enunciati-
vum & non Enunciativam dividunt, & hic tamen de oratione
Enunciativa, in qua verum & falsum spectatur, agi, asserunt.
Illi enim omnia late & copiose expedire & enarrare voluerunt:
nos verò tantum tanquam in compendio praecepere & agere volui-
mus. Atq; sic relicta illa prolixitate statim de Oratione Enuncia-
tiva agere incepimus. Hac enim si bene notaveritis nihil dubij
hac in parte vobis de nostra assertionem in animo habebit: & si forsitan
quis quod Aristotelem, quem adeò venerari nos diximus, non
fuerimus secuti, obijceret, responsionem in promptu habemus.

II. Quia verò vocabulum Enunciationis admodum est aequi-
volum, & multas variasq; obtinet significationes, ideò vobis am-
biguitatem hanc, melioris cognitionis & lucis gratia explanabi-
mus, & de quanam Enunciationis acceptione hic agamus, indi-
cabitur. Primò enim Enunciatio nomine interpretationis, quat:
eorum, qua in animo sunt, interpret est, venit, atq; hoc respectu
interpretatio & Enunciatio eodem nomine insigniuntur. Secun-
dò etiam vocatur propositio: cum tamen propositio verè loquendo
antequam artificium syllogismi non est ingressa, non possit nomi-
nari. Deindè etiam venit nomine instantia, quat. ejusdem in re-
primenda aliqua propositione usus est. Significatur deindè etiam
Enunciatio nomine axiomatis, ut apud Ramum & Ramos, qui
Enunciationem & axioma pro uno eodemq; sumunt, videre licet.
Assumit deniq; etiam multas & varias significationes: Sed nos
his om-

his omnibus tanquam ad institutum hoc nostrum minimè facien-
tibus, relictis, accipimus vocabulum Enunciationis pro aliqua
oratione, verum aut falsum simpliciter spectante. Videatur Regi-
us Disput. Log. lib. 3. probl. 2.

III. Hisce ambiguitatibus ita evolutis, ad definitionem no-
stram in theoremate propositam enodandam nos jam convertimus.
Dicimus autem quod Enunciatio sit oratio, ubi notare debetis
quod hic nobis de tali oratione, qualem Orator aliquis verbis foras
prolati habere dicitur, sermo non sit, neque quatenus literis vel pagellis
comprehensa, qua ratione Cic. aliorumque praeclarorum virorum
orationes & scripta dicuntur, hic vocabulum orationis volumus
acceptum; Sed quatenus sumitur pro interna aliqua mentis opera-
tione & oratione, ut sensus sit, Enunciatio est oratio, hoc est, men-
tis quaedam operatio, ad quam nisi per accidens, ut foras efferatur,
chartis commendetur, requiritur. Dicimus deinde quod Enun-
ciatio sit oratio indicativa, quibus verbis excludimus orationes
in modo imperativo, optativo, conjunctivo & similibus prolatas,
easque nisi ad orationem in indicativo modo prolatam referri possunt,
ex Logicis ad alias disciplinas rejicimus. Regius lib. 3. Disput.
Log. problem. 2. Crellius part. commun. Logic. lib. 2.
cap. 2.

Dicimus denique quod Enunciatio sit oratio indicativa verum
aut falsum significans, quibus verbis innuere volumus, quod E-
nunciatio sit instrumentum veritatis, & ad veritatem tanquam
ad finem suum cum tota Logica tendere, atque hac ratione per ve-
ritatem, cujus indaganda instrumentum est, debere definiri. Sic
etiam Logicam instrumentum veritatis, propterea quod ad eam
tendat, definivimus. Regius lib. 3. disp. Log. probl. 2. Re-
linquitur itaque, quod Enunciatio sit tale instrumentum seu ta-
lis operatio intellectus, quae ad rerum veritatem, aliquid de
iis vel affirmando vel negando, indagandam tendat.

Theorema Quartum.

Partes Enunciationis duæ sunt: subje-
ctum & prædicatum.

ut in Syllog. de
subjecto & prædi-
cato. .: anteces-
sente & consequente.

I. Consideratis ita principijs Enunciationum, consideratâ ite-
dem earundem definitione & natura in genere; consequens jam
esse videtur, ut aliquo modo etiam agamus de Enunciationum
partibus essentialibus in specie. Ubi notabitur, quod hęc tracta-
tionem hanc non tam propter partes, quàm alia quadam de quib-
us admonendi videbamini, instituerimus. Egimus namq; in
theoremate primo satis, prò ut finis & institutum nostrum requi-
rit, de partibus seu principijs Enunciationum Essentialibus.

II. Notabitur itaq; hęc primò quod subjectum & prædicatum,
& nomen & verbum pro uno eodemq; apud Philosophos suman-
tur, hoc tamen discrimine, ut nomen & verbum, quat: non-
dum ingressa Enunciationem, nominentur, observato: & dein-
dè, quando jam unum alteri subicitur, vel unum de altero prædi-
catur, subjectum & prædicatum dicuntur. Exemplo breviter totâ
rem vobis declarabimus: quando itaq; homo: vivit: prout sunt,
duo termini simplices sumuntur, & nondum Enunciationem sunt
ingressi, sed ita disjunctim pronuntiantur, tunc nomen & ver-
bum dicuntur: Quando verò conjunctim, ut quando dico: Ho-
mo vivit, proferuntur, tunc subjectum & prædicatum rectè di-
cuntur. Quia unus eorum terminorum videlicet HOMO sub-
icitur, & propterea subjectum, alter videlicet VIVIT prædi-
catur, & propterea prædicatum dicitur.

III. Notabitur deindè etiam quod interdum harum par-
tium una antecedens, altera consequens vocetur, ut, quando
dico: ignis urit, ibi ignis est antecedens, quia antecedit alteram
partem, & urit est consequens, quia consequitur primam
partem.

partem videlicet ignem. Notabitur autem hoc ipsum propterea, quia apud Philosophos, praesertim Ramcos. hic modus denominandi partes Enunciationis est frequentissimus & usitatissimus.

III. Vltimò notabitur etiam, quòd partes Enunciationis ali- quando dividantur in primarias & secundarias.¹ Ad partes primarias referuntur subjectum & predicatum, quae etiam so- lum & propriè loquendo partes Enunciationis sunt dicenda.² ad secundarias verò referunt eas, quae non rem aliquam certam, sed tantum alicujus rei modum significant, & sunt vel signa universalia, vel particularia & similia. Sic quando dico: Omnis homo sentit. In hac Enunciatione sunt & partes secundaria & primaria. Secundaria enim pars est particula omnis, quia non ipsam rem, sed saltem modum rei denotat. Primaria deindè partes sunt Homo, sentit. Atq; haec vo- bis diligenter, praesertim in publico foro Philosophico & vul- gari loquendi consuetudine observanda judicamus. Et tantum de Enunciationum principijs, definitione, & partibus.

Enunciationis partes
aliae primariae aliae
secundariae

secundario
primaria.

Corollaria.

I.

An in libro de Interpretatione, an verò in libro categoriarum prima instituatür men- tis operatio? Aff. prius negat post.

II.

An copula sit pars Enunciationis?

An

III.

*An rectius axioma, an verò Enunciatio-
nem hanc Logica particulam appellisemus?*

Aff. post.

IV.

An Ens possit perfectè desiniri? N.

V.

*An Aristot. quādò in Logica egerit de no-
mine & verbo erraverit? N.*

VI.

*An operationes intellectus & notiones se-
cunda differant? Aff.*

VII.

*An animus an verò qualitas seu scientia
in animo harens versetur circa res. Aff. prius.*

*de Oratione, Enunciatione, Enunciationisq; partibz
vide crell: à 185. usq; 202. hic partim confusa in T. 3. 324*



Moribus Ornatissimo & Doctissimo
mo juveni,
DN. THOMAE BALTHASARO
RESPONDENTI

Περὶ Φωνήματα donant.



Erum mille DEus formas, & secula rerum
Egregiæ finxit parili libramine mentis
Mentis, divino cujus laus magna decore;
Quas est dispersas ingente volumine mun-

di
Mirari, frugi quid mente libare prophanum est.
Mirio bellatulus numquam subducere tentet
Mirio, cui Logices spaciola scientia diæ
Ingenij sanctas sancti non imbuit aras.
Ars Logices sanctæ, quæ non illustrior ars est
Ars Logices callet rerum subducere vultus;
Ars Logices omnes dispecuit ordine bino:
EST vel INEST, sanctæ Logices est tessara certa.
Addo: divinæ Logices Panacæa medetur
Humanæ menti, duro quæ saucia fato.
Triste: trias mentes morborum querquera nostras
Primitus obsedit, prôh, deteriora sequentes:
Vel, rerum simias figmenta dolosaprehendit,
Vel rerum proprias nescit cognoscere causas,

B

Vel re.

Vel rerum series præposterus implicat ordo,
Humanæ mentis præh lamentabile damnum, /
Damnum, cui Phoebus vix par est ipse premeudo.
En ergò Logicam, Logices & nobile numen
Osculor, ac iterum Logicen en osculor alman.
Nec rapto, Logices sed magnâ laude rivalem,
Macto, si veneres Logicæ decoxerit ipsas.
Pòl non invideo, Thoma, doctissime Thoma,
Si juxtâmecum Logicen ambire cupiscis:
Sed si non fallor; casto devota cañori
Mens tua cunctorum visum mysteria rerum,
Urget iter, Phoebò quâ regia marmore flammans
Albo Parnassus Musarum Academia clara:
Sed via difficilis, via vepribus obsita acutis
Ne te transversum seducat ad alta Syrenum,
Ocia, delicias quæ non nisi corporis augment,
Maturato viam rapidis & passibus insta,
Pòl metam feries Phoebò duce & auspice Phoebò.

ANDREAS HOIERUS

Ufdomo - Pomeranus.



ALI-




Aliud.

Diversos diversa juvant non omnibus una,
A summo data mens rerum Dominoq; Deoq; est.
Cuiq; suum studium placet, & sua quemq; voluptas
Ecce trahit, (magnus canit ut docto ore Poëta)
Auggendi est alijs non infima cura peccill:
Plena trahunt alios spumantia pocula Baccho:
Sunt quibus & volupe est spoliare volucris auras:
Piscibus & fluvios squamosis, caruleisq;
Et nemus omne feris: sic te, doctissime THOMA,
Delectat. Sophia, atq; placent ante omnia MUSÆ.
Ergo tuo applaudant incepto, docte sodalis,
Et Charis & Phœbus, Virtus Musa atq;
Minerva.

L V C A S S T O L T E R F O T V S
Lubecensis,





Alud



J. N. CAS. STOLLERROTHS
Laborator







306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document